

176

358, 2



27K

DIATRIBARUM
DOMESTICARUM
DECAS X.

QUAM

D. O. M. A.

PERMISSU ET CONSENSU

Amplissimi Actorum Ordinis
in Academia Salana,

PRESIDE

JOHANNESCHRÖTERO,
OSTERBURGO-MARCHICO,

DEFENDERE CONABITUR

JOHANNESHARTMANNUS
NORIBERGENSIS.

AddiemXXIV.Decembr.

JENÆ

TYPISJOHANNISWEIDNERI.
ANNOCHRISTI

1614.

Viro Conspicuo ac Integerrimo.

DN. JOHANNI
HARTMANNO,
Civi inclytæ ac celeberrimæ No-
riberg. Reipub. primario, Nobilissimiq̃ue Senatus
ibidem Notario sylvarum Laurentianarum fidelissimo,
Parenti suo omni observantiæ cultu
prosequendo.

UT ET

Viro Spectatissimo, Doctissimo, atq̃, Experientissimo,

DN. GEORGIO
MAJORI, CIVI EJUSDEM FLOREN-
tissimæ ac laudatissimæ Reipub. optimo, ibi-
demq̃ue Xenodechii ad Spiritum S. Pharmaco-
polæ solertissimo, Affini
S. P. D.

Ngrato pejus cūm nil hæc terra creârit,
Condignam retulisse vicem pro munere justum est.
At tibi pro meritis GENITOR, quid obare reponam?
Quidvè tibi AFFINIS dabo? vel quæ dona relinquam?
Hæc mea, quæ Salana dedit, Problemata juris
In mentis gratæ τεκμήριον offero VOBIS.
Accipite ergo, VIRI VOS, nostræ munera Musæ,
Atque animum potius quam res, expendite gratum.

Johannes Hartmannus Resp.



Ornatissimo & Doctissimo

VIRO,

D. N. I O H A N N I
H A R T M A N N O,
juridicè Disputanti Amico
suo amando gratulatur

M. JHOANNES DONNER.



IC tandem fructus profers HARTMANNE, de-
dère

Quos Horti Themidos uberiore manu.
Sic si quod coeptum perduxeris; inde resurget
Gloria; laus tandem fama perennis erit.

Quam collustrabit tua mens, coeli astra pererrans
Evolvens quicquid Terra polusque tenet.






HARTMANNE, duris apte laboribus
Prestare fortem & Teutonicum virum,
Somno & quiete ignaviori
Pigritia indocilis litare,
Quid universos assiduus dies
Longasq; noctes corpore transigis
Juris legendo, inter pretesque
Crispidulos meditando ad ungues.
Illapsa aquai guttula sepius
Palatiorum marmora perforat,
Situq; ferrum, atq; æs superbum
Humidus aër edit virenti.
Non vis laboris frangere machinam
Tui cerebri, & fundere spiritus
HARTMANNE amice, possit? HARTMAN
Jupiter omnis homo, esse possit?

L. M. Q.

Deproperabam

M. Daniel Stahlius.





DIATRIBARUM

DOMESTICARUM

DECAS DECIMA.

RESPONDENTE

J O H A N N E
H A R T M A N N O
N O R I M B E R G E N S I.

QUÆSTIO I.

An actiones præjudiciales referendæ sint ad
actiones in rem?

DE actionibus præjudicialibus prælibamen hoc præmittimus, quod olim vix annumerata fuerint actionibus, propterea quod nec proprie in rem, nec etiam in personam videbantur. Actio enim in personam non erat præjudicium, quia illa oritur ex obligatione, l. 42. §. 2. de procur. §. 1. Inst. de act. que inter patrem & filium familias, dominum & servum subsistere

Ff

nequit.

nequit. §. Item inutilis. 6. Inst. de inutil. stipul. cum sibi ipsi nemo obligetur. l. 2. de stipul. serv. id quod ob fictionem unitatis l. ultim. Cod. de impub. & al. subst. fieret. Nec proprie erat in rem, quia filius qui se filium esse negat, nihil vindicat, quod ab alio possideatur, ut requirit l. 9. de R. V. Verum cum prejudiciales actionum verarum instar obtineant, à Pomponio earum numero sunt additæ, cujus auctoritatem secutus est Ulp. in l. 37. pr. de O. & A. Queritur igitur nunc: Utrum eo modo, quo actiones sunt, potius sint referenda ad actiones in personam, an vero in rem? Posterius hoc asserimus. I. Quia hoc ipse Justinianus fatetur, dum ait, prejudiciales actiones in rem videri. §. prejudiciales. f. de act. ubi videtur non hoc importat, quasi Imperator hac de re dubitasset, potiusque statuisset, eas esse in personam: sed magis respicit ad id quod initio diximus, hac actiones non venire nomine actionum proprie dictarum, ideoque potius de hoc dubitative locutus est Imp. quod sint actiones, quam quod sint in rem. Hoc igitur voluit, quod quemadmodum latè sumpta voce Actionis, prejudicia sunt actiones. ita etiam non nisi laxius loquendo sint actiones in rem. II. Ubicunque non est causa actionem in personam producens, ibi nec ipsa actio adesse nequit: quemadmodum enim physicè nihil fit sine causa. ita & juridicè. Sed jam ante dictum est, obligationem, matrem actionis in personam, inter patrem & filium, dominum & servum non dari. E. gò. E contrario verò, si in actione prejudiciali adest causa actionem in rem producens, quidni eam realem statuamus: rursus autem verum est eò, quod actio in rem provenit ex domi. l. 23. princ. de R. V. §. 1. Inst. de act. id quod hic concurrit. Servi enim rebus annumerantur,

l. ultim.

l. ultim. C. de V. S. l. 2. §. 2. ad l. Aquil. unde etiã in patrimonio esse dicuntur, l. 14. §. 1. de serv. corrupt. Quibus olim conferebantur filijfam. l. 11. de lib. & post. quod licet hodie non usq. adeo sit verum: sunt tamen quasi in dominio patrum ut & vindicari possint, non quidem actione in rem speciali & simplici, sed actione in rem prejudiciali l. 1. §. 2. de R. V. Nec enim ibi Ulpiano propositum est, ut prejudicium ab actione in rem simpliciter removeat; sed suo tantum modo & respectu, quod vel inde constare potest, quod utitur verbo PETUNTUR, quo sui quodammodo interpretem agit, non ignorans, Petitionis voculam propriè competere actionibus in rem, l. 178. §. 2. de V. S. l. 28. de O. & A. Idem quasi dominium patronum habere, non absurdè dicemus, qui in plerisque patri comparatur. t. t. de obseq. par. & patr. prest. & sic ratione juris, quod in liberto habet, merito in rem agere censetur argum. l. ultim. de Ll. III. Quoniam cum actionibus in rem majorem habent convenientiam: quemadmodum enim illa semper sequuntur rem ipsam, l. 7. pr. de publican. & adversus quemlibet possessorem dantur §. 1. f. de act. l. 3. §. fin. ad exhib. ita & hæc, cum hoc tamen discrimine, quod in illis persona & res separentur, in his non. Duar. lib. 2. disp. annivers. c. 2. Ant. Fab. lib. 19. conject. cap. 20. Donell. Giph. Borcholt, Hortens. Harprecht ad §. 13. Inst. de act. Hænon. disp. 19. t. bes. 5. lit. A. Wegn. disput. 15. t. b. 4. lit. F. A quorum sententia recedunt Vult. discept. schol. 3. Förster. part. 2. disputat. 1. t. bes. 3. lit. B.



QUÆSTIO II.

An actio præscriptis verbis, & finium regundorum
sint bonæ fidei?

Non erit de nihilo, propositam questionem paucis diluere
& quid de finibus utriusque hujus actionis definiendum
indagare. Quod itaque actionem præscriptis verbis atti-
net, eam esse bonæ fidei, sic ostendi posse putamus. I. Indubi-
tatum hoc est, quod omnes illæ actiones, quæ in §. 28. Inst. de
act. ab Imperatore seu Triboniano enumerantur, sint bonæ fi-
dei. Jam verò actio præscriptis verbis disertè nominatur in
enumeratione proposita. Ergò. Cui assertioni non offi-
cit, quod statim subjicitur, *Quæ de aestimato & c.* Illud
enim non eo nomine factum est, ut genus restringatur ad cer-
tas species, sed potius ut per specierum adjectionem quodam-
modò explicetur, vel quod verius nobis videtur, ut ostenda-
tur, actionem præscriptis verbis aestimatoriam & rerum per-
mutationem, sub generali illo nomine non adeò contineri, &
quodammodò ex instituto hominum, licet non in jure, nomen
peculiare obtinere: quemadmodum factitatum esse memi-
nimus in Digestis; ubi itidem à titulo, De præscript. verb. di-
ctæ actiones sunt separate. Quare ne viderentur à bonæ fi-
dei actionibus separate, nominatim fuerunt indigitandæ,
cùm facile potuissent pro omisissis haberi, argumen. l. 22. de
donat. l. 15. §. 26. de injur. II. Idquæ vel inde clariùs con-
stat, quod notæ bonæ fidei actionum non minus actioni præ-
scriptis verbis, quàm aestimatoria conveniunt. Nam in
illis est ultrò citroquæ obligatio, ut apparet ex singulis spe-
ciebus subjectis: sic etiam in præscriptis verbis l. 7. §. 2. de
pact.

pact. ut in illis petitur incertum, ita & in his l. 16. de prescr.
 verb. III. Quia id expressè assertitur in l. 2. §. 1. de preca. l. 1. in
 fin. pr. de estimat. in qua sanè lege, illud *ÆSTIMATORIAM*
 irreptitiū esse, ostendit Hotomannus & Hortensius, & ex ipsis
 verbis satis est liquidum. Quoties, inquit Ulp. de nomine
 contractus alicujus ambigeretur, conveniret tamen, aliquam
 actionem dari, dandam prescriptis verbis actionem: huic si
 addas, estimatoriam, nimis arcta & fortè etiam falsa erit
 oratio, l. 2. de prescript. verb. l. 7. §. 2. de pact. Talis igitur effi-
 citur *ÆCTI* collectio: In omnibus prescriptis verbis actioni-
 bus id locum habet, quod in bonæ fidei judiciis. Sed actio esti-
 matoria est actio prescriptis verbis. Ergò. Atque ita fir-
 missimè nostra sententia est stabilita ex eadem l. 1. Videatur
 Hortens. ad §. 28. Inst. de act. ibidem Giph. Nicol. Cisner.
 Wegner. disput. 15. thes. 6. lit. D. Dis. Wesen. in parat. ff. de
 estim. num. 10. & ad d. §. 28. Inst. de act. Borcholt. de act. cap. 2.
 num. 69.

Transibimus nunc ad actionem finium regundorum,
 quàm bonæ fidei esse è contrario negamus. I. Quacunque
 actio in §. 28. Inst. de act. nec quoad verba, nec quoad *διὰ νομίαν*
 est enumerata, illa est stricti juris, non bonæ fidei. Actio fi-
 nium regundorum, nec quoad verba, nec quoad *διὰ νομίαν* ibidem
 est relata. Ergò. Propositio licet à quibusdam in dubium vo-
 cetur, ab aliis tamen pro regula firmissima traditur, Donell.
 Borch. Cisner. Harpr. Giph. dd. ll. & Dn. Arum. exercit. 18.
 thes. 13. Förster. part. 2. disp. 1. thes. 4. lit. C. & firmatur ad-
 versus Hortens per l. 22. de donat. tum etiam quod *ὁρμητικῶς*,
 non per exemplificationem *VELUTI* Imp. actiones illas enu-
 meravit. Minor quo ad verba per se est manifesta, de
διὰ νομίαν non adeò magnum est dubium: licet enim actio finium

regundorum cum fam. hercisc. & com. divid. conveniat in eo, quod mixta est §. 20. Inst. de act. & prestationes personales continet l. 4. §. 1. fin. reg. ita ut ubiq; ferè comparentur l. 2. §. 1. com. divid. tamen in eo est differentia, quod in prioribus mutua est obligatio ex quasi contractu §. 3. & 4. Inst. de oblig. qua quasi ex contr. in hac verò solus sibi negotium gerit, qui convenitur, non etiam vicino, dum occupat sibi partem fundi, ultra terminos, ubi sanè presumptus consensus locum habere nequit, cum illa occupatio finium non fiat altero consentiente arg. l. 25. pr. de probat. sed ignorante & errante, à quo quantopere consensus absit. patet ex l. 2. de Jud. l. 15. de juridict. l. 116. de R. J. II. Alterum fundamentum in hac nostra sententia desumimus ex eo, quod fructus in hanc actionem veniant demum post litem contestatam l. 4. §. 1. & 2. fin. regund. id quod tanquam proprium attribuitur actionibus stricti juris argum. l. 1. §. 23. & sequent. Depos. l. 38. §. 7. & 15. de usur. III. Sola lex facit actiones bonæ fidei l. fin. C. de her. pet. §. 29. Inst. de act. donec igitur lex specialis demonstrari nequit, qua idem affirmet de actione finium regundorum, nos absque lege id dicere nolumus Nov. 18. c. 5. & meritò. Adde Treutler. volum. 1. disp. 19. thes. 2. lit. D. Don. ad d. §. 28. n. 41. Hænon. disp. 20. th. 7. lit. D. Diss.

Hortens. ad d. §. 28. Wegner.

disputat. 15. thes. 16.

lit. D.



QUÆSTIO III.

An plures sint personæ, quæ in id conveniuntur, quod
facere possunt, præter enumeratas in pa-
ragraphis final. Inst. de
actionib?

NE cui monstrosa videatur questio præsens! id quod ei fa-
cile contingere potest, qui scit, ultra posse neminem
obligari, l. 185. de R. J. in tantum, ut actionem habere non
videatur, cui propter inopiam adversarii inanis actio est, l.
6. de dol. mal. quorsum igitur questio hæc, si nemo ultra fa-
cultates & vires tenetur? Eò scilicet, ut ostendatur, esse
quasdam actiones, quibus solidum petere possumus, &
ut sententia libello congruat, condemnatio in solidum fieri
solet & debet; contra verò dari quasdam, quibus nec so-
lidum strictè persequi licet, & quas condemnatio non
semper comitatur petita, quarum septem enumerantur
species.

Prima est actio de peculio, quæ datur adversus
dominum vel patrem peculiotenus, ne scilicet causa
producat fortiores effectum seipsa: Ipsa enim obligatio ul-
tra vires peculii sese non extendit, l. 47. §. 2. de pecul. l. 27.
de liber. leg. Ergò & actio hisce coarctanda est limitibus,
l. 30. princip. d. t. de pecul. ne scilicet filiusfamil. vel servi
patris vel domini conditionem deteriore faciant, contra
l. 133. de R. J. Altera est de dote, ob reverentiam mariti, l. 14.
princip. solut. matrim. & matrimonii honorem, l. 2. rer. amot.

& reli-

Et reliqua ibidem sequentes. Hisce rectè adduntur nostra
 sententia 1. Socer. l. 15. §. final. solut. matrimon. ubi in l. seq.
 elegans additur ratio, quia parentis locum socer obtinet:
 meritò igitur ejusdem privilegium habet, Et eadem reve-
 rentia gaudet l. 9. de obs. par. Et patr. prest. I I. Frater ad-
 versus fratrem actione experiens. Etenim, si socius socio
 propterea tenetur in id quod facere potest, quia societas con-
 tineat in se jus quoddam fraternitatis, l. 63. in f. princip. pro
 soc. quantò magis id in ipsis fratribus militare debebit, in
 quibus non tantum jus civile, sed Et ipsa operatur natura, ita
 ut frater sit ferè ipse alter? Quod ipsum alii etiam proba-
 re conantur ex l. 17. ibi, liberique eorum. de re jud. Quod ta-
 men fundamentum nobis non videtur satis validum, cum
 non opponantur liberi invicem sibi, sed liberto, quate-
 nus ab eo conveniuntur. I I I. Additur Et miles,
 qui sub armata militia stipendia meruit, l. 6. Et l. 18. de
 re jud. ob insignia pericula, qua pro republica subit pu-
 gnando, l. 31. Cod. de loc. Et moriendo, l. 18. de
 excus. tut. Quibus omnibus ultimò rectè annumera-
 ri statuimus milites, qui subtogata militia stipendia
 meruerunt, quod non minora pericula subire coguntur
 Auth. habita. C. ne fil. pro patr. nec leviori Rem-
 public. afficiunt beneficio l. 14. C. de
 advo. div. judicior. Sed ad
 alia.



QUÆSTIO IV.

Servus noxæ deditus cuius fit servus?

Servilis ingenij magna est nequitia, l. 3. C. de libert. & cor. lib. ita ut sæpius etiam invito & ignorante domino noxiam noceat, l. 2. §. si. de noxal. act. Et si igitur omni jure receptum est, ne quis alieni criminis pœnam sufferat l. 26. de pœn. l. 22 C. eod. l. 33. §. 1. de inoff. test. tamen cum reip. expediat delicta puniri, l. 51. ad l. Aquil. & verò servi ipsi ob noxiam commissam, nec civili actione conveniri l. 14. de O. & A. nec in pecuniariam pœnam condemnari queant, ut potè qui nihil suum habent. §. Item vobis, Inst. per quas pers. cuiq. acquir. ita res fuit temperanda, ne servi ob impunitatem audaciores fierent l. 1. §. 1. si is, qui test. libr. aut dominus ob delictum servile damnū pateretur, contra id, quod vulgò dicitur, ipsius conditionem quidem per servum fieri posse meliorem, non autem deteriorē l. 133. de R. J. data igitur est noxalis actio adversus dominum, qua intenditur, ut vel litis estimationem sufferat, vel servum noxæ dedat; atque sic nequitia servi corporis estimationem non excedit, §. 2. Inst. de noxal. act. Hic servus si noxæ sit deditus, cuius fiat queritur? Nos cum nec domini prioris, nec posterioris esse stutuimus. Prioris non est, quia is, attestante ipso Imp. in §. 3. Inst. d. t. à se in perpetuum dominium transfert, ut nunquam ad eum revertatur, non secus ac servus pœna, si à principali indulgentia à pœna sit liberatus, nunquam in dominium prioris domini restituitur, il. 24. §. 5. de fideicom. libert. De posteriori domino majus potest esse dubium, tum quod prior dominus dicatur à Theophilo μετὰ Φέγων τὴν δεσποτείαν ἀπὸ τοῦ λαμβάνοντα transferens dominium

in accipientem: tum etiam, quod dominus accipiens, in bonis hunc servum habere videatur, l. 2. in f. si ex noxal. caus. l. 26. in f. de noxal. act. atque adeo dominium ipsius nactus pronuncietur in l. 20. d. t. Verum hoc ipsum non de dominio pleno & Quiritium, sed tantum de minus pleno & naturali intelligendum esse, ostendit Ulp. in fr. tit. 1. §. 11. ubi distinguit inter eum, qui servum tantum in bonis, & ex jure Quiritium habet. Idem, vel inde etiam magis & magis elucescit, quod solvendo vel sarciendo noxam, servus auxilio pratoris etiam invito posteriori domino, manumitti possit, quae sane causa sufficiens non foret, si dominium intelligeretur de vero & pleno l. 2. de his qui sunt sui, l. 9. §. 1. de jur. dot. l. 4. C. de his qui à non dom. Est autem hujus rei ratio haec, quod actor potius intendat noxali actione damni restitutionem, quam dominium ipsius servi, quod si igitur resarcitum est pecunia servi, habet quod vult, & quale quale illud dominium perdit, cum servus hic suis nummis quodammodo sit emptus, & per consequens ad libertatem deducendus, l. 3. de obseq. par. & patr. praest. l. 4. pr. & §. 1. de manumiss. Ex hisce omnibus colligimus, quod servus noxae deditus, sit servus ipsius noxae, donec damnum datum restituatur, argum. l. 8. §. pen. l. 17. princ. de poen. l. 1. §. 1. de sent. pass. Unde Hortens. depromit rationem, cur hic servus resarcito damno & noxa fiat liber, quia scilicet jam desinit dominus, hoc est, noxa, vide

Cujac. 11. obs. 38. & 13.

obs. 9.



QUAE.

QUÆSTIO V.

219

An in criminalibus procurator admitti
possit?

OMnis defensio licitam habet causam l. 3. de J. & J. non tantum extrajudicium, l. 12. §. 1. quod met. caus. l. 45. §. 4. ad l. Aquil. sed etiam in ipso iudicio l. 2. pr. de except. quæ quidem in causis civilibus fieri potest vel per nosmet ipsos, vel per alios, qui id nostro mandato expediunt, l. 1. de procurat. vel sua sponte in se recipiunt. An verò idem in criminalibus admittendum, anceps est disceptatio? Nos negantium sententiam veriore esse statuimus, neq; id sine lege & ratione. I. Habemus enim generalem Papiniani decisionem in l. pen. §. ult. de publ. jud. Ad crimen publici iudicij persequendum frustra procuratorem intervenire: multoq; magis ad defendendum. Ex qua apparet, nec agere, nec excipere licere in causis criminalibus per procuratorem. II. Quod idem repetit in l. 11. §. 2. ad l. Jul. de adult. eam scilicet, quæ inter reos adulterij recepta est, absentem defendi non posse. III. Cui ὁμοῦ ψνφϞ est Ulp. in l. 1. An per al. caus. appell. in qua eadem ratione distinguitur inter causas pecuniarias & criminales, ita ut in illis quidem liceat per procuratorem agere, in his verò non item, sed oporteat ipsum actorem vel reum auditorio adesse. IV. Facit hoc l. 16. C. ad l. Cornel. de fals. l. 2. C. de his, qui accus. V. Pro hac sententia optime adferuntur rationes, quarum I. est, ne delicta maneat impunita, l. 51. ad l. Aquil. l. 9. §. 5. de publican. l. 18. §. 1. de Jud. l. 70. §. 5. de fidejuss. l. 14. C. de pœn. II. ne iudicium fiat illusorium, l. 75. de jud. l. fin. ne quid in loc. publ. essent autẽ impunita maleficia, quia reus aufugeret aut latitaret, si se cõdemnatum iri conspiceret, absens enim condẽnari aut puniri

criminaliter nèquit, nec per se l. 1. pr. de requir. reis, l. 5. pr. de pœn. nec per procuratorem, alius enim pro alio non rectè afficitur pœna, l. 26. d. t. l. 7. prin. de bon. damnat. l. 6. §. 2. de procurat. III. Quia si innocens est, cur seipsum non defendit? cum ipsi potius pro se, quàm contra se credatur, l. 1. §. 7. de quest. Et reus causam suam diligentius tueri præsumatur, quàm procurator l. 1. §. fin. de carbon. edict. quemadmodum quilibet sua potius, quàm aliena curare creditur, l. 14. pr. de præsc. verb. neg. verò metus carceris potest esse rancus, ut eum à defensione deterreat, ut potè qui non nisi ex mala conscientia oritur, imprimis verò cum carcer non sit pœna, sed saltem custodia, l. 8. §. 9. de pœn. si autem est nocens, annon per contumacem absentiam crimen fatetur? l. 11. §. 4. de interrog. l. 53. pr. de re jud. l. 199. de R. J. IV. Quia ad veritatis excussionem plurimum facit vox ipsa et presentia rei, possunt enim ex ipsa oratione et vultu Rei signa quaedam certa depromi, ut refert Arcadius in l. 10. §. 5. de question. et quotidiana testatur experientia, Licet enim ipsa neges, Vultus loquitur quodcumq; negas, ait Seneca in Agamemn. et perquam difficile est crimen non prodere vultu. Ovid. 2. Metam. Tum etiam oratio plerumque indicat hominem ipsum arg. l. 27. pr. de condit. inst. l. 39. §. 8. de leg. 1. ut rectè dixerit Scal. lib. 3. de re poet. c. 35. orationem esse picturam animi. Faciunt cum hac sententia, Duar. tit. de procur. c. 6. Donel. l. 18. com. c. 10. Giphon. ad l. 33. §. 2. de procur. n. 10. Vasq. controu. usufreq. lib. 2. c. 17. Dn. Arum. disp. ff. 3. tb. 14. Bronch. cent. 1. ass. 50. Diss. Robert, lib. 2. sent. c. 3. Cujas. lib. 20. obs. c. 20. Enucl. Donell. d. c. 10. lit. E. inf. Wegner. disp. 16. tb. 4. lit. A. Haenon. disp. 22. t. bes.

3 pac. cent. 2. q. 40.

(***)

QUÆ

QUÆSTIO VI.

An fraternas Academica, vulgò der Duheiß/
sit ferenda?

Questionem hanc incidenter quidem, sed fortè non sine
utilitate ob causas, quas domi novimus, inserere placuit,
in cuius affirmativa, obrationes subsequentes acquiescere
possumus. I. Pro àdeλφία nostra habemus Paulum in l. 58. in
f. de her. inst. qui frater non est (naturalis scilicet) si fraterna
charitate diligitur, rectè cum nomine suo sub appellatione
fratris heres instituitur. Ubicunq; igitur est fundamentum i-
psius fraternitatis, fraterna charitas, ibi rectè superin-
struitur ipsa fraternitas. II. Sic socij sive rerum omnium,
sive certæ cujusdam negotiationis, jus fraternitatis inter se
habent l. 63. pr. pro soc. At studiosi sunt socij, tum commu-
nium studiorum, tum etiam omnium privilegiorum Acade-
micorum: Quemadmodum enim matrimonium est & voca-
tur societas, l. 4. C. de crim. expil. her. l. 1. rer. amot. propterea
quod habet in se communicationem divini & humani juris,
l. 1. de rit. nupt. ita etiam ob dictam rationem studiosos socios
vocari nil prohibet. Unde Cic. in Læl. definit amicitiam seu
fraternitatem omnium divinarum humanarumq; rerum
cum benevolentia & charitate summam consensionem.
Quare cum societas, & jus fraternitatis inter eos subsistat,
quid ni & nomen fratrum? III. Accedit quod magistratus
Academicus respectu suorum civium sese habere debet, ut pater
l. 34. C. de inoff. test. l. 4. C. de defens. civit. si hoc, sequitur quod
subditi sint filij respectu ejusdem, & inter se fratres, atque
ejusdem quodammodo familia. IV. Nec caret illa fraterni-



tas suo fructu: Quanquam enim natura inter omnes in
 univ^{er}sum homines fecit cognationem quandam, l. 3 de J.
 & J. tamen hac ratione magis conglutiantur animi juve-
 num, ita ut à naturali illa ad dissentiendum facilitate, l. 17.
 §. 6. de recept. arbitr. sese recipiant ad concordiam, qua
 maximè fratres commendat, l. 6. §. 2. Cod. de bon. qualiber.
 Hinc Cicer. d. l. amicitiam definit summam consensio-
 nem. V. Quia commilitones armati inter se habent af-
 fectionem, amicitiam & charitatem, l. 8. l. penultim.
 princip. de castr. pecul. magis igitur togati propter idem
 commilitium. Verùm hic Pythagore illud observan-
 dum: Non cuique dexteram esse porrigendam, nimia
 enim familiaritas contemptum parit, l. 19. princ. de off.
 presid. Quemadmodum igitur is demùm amicus est ap-
 pellandus, non qui levi notitia est conjunctus, sed cum
 quo nobis jura honestis familiaritatis sunt quesita rati-
 bus, l. 223. §. 1. de V. S. ita et frater ille erit, non
 quem cyathi nobis commendant, sed virtus & vitæ pro-
 bitas: madida enim illa fraternitas, vino nititur, quo
 sublato nullus erit amicus, sed simul cum crapula evane-
 scet. Qua de re vide disputationem de amicis eligend.

Clarissim. viri, DN. M. THOMÆ SAGIT-
 TARI, hospitis mei plur. co-
 lendi, à th. 64. ad 68.

(**)



QUÆ-

QUÆSTIO VII.

An exceptiones sint juris nature?

Non posse dari aliquod jus civile merum, quod à jure naturali in totum recedat, perspicuum est ex l. 6. de J. & J. itaq, licet non negemus, exceptiones, ut & alias defensiones in jure natura fundamentum habere, l. 3. de J. & J. tamen eas juri civili quoad rem ipsam adscribi posse & debere existimamus. I. Quia omnes actiones sunt juris civilis, l. 2. §. 6. de O. J. Quamquam enim cause plerarumque actionum remotæ sunt juris gentium, ut contractus l. 5. de J. & J. proxima tamen sunt juris civilis, ipse nimirum obligationes, l. 42. §. 2. de procur. que non sunt naturales, ex his enim non dantur actiones l. 10. de O. & A. l. 16. §. 4. de fidejuss. sed civiles. Ergo & actiones, aut sequitur quod filia sit prior matre, quod cogitari nequit. Inde nunc assumimus, quod exceptiones sub verbo actionis generaliter sumpto contineantur, l. 1. de except. l. 19. de probat. Ergo. I I. Ex dictis ita ratiocinamur: Exceptio est actionis exclusio, l. 2. princip. de except. Sed actio est juris civilis. Ergo & exceptio, nisi vicissim actionis dicendum quis putaverit, excludens esse prius excludendo, vel exclusio.



QUÆ

QUÆSTIO VIII.

An Judex debeat judicare secundum
conscientiam?

IDcirco judiciorum vigor, jurisq; publici tutela videtur in
medio constituta, ne quispiam sibiipso permittere valeat ul-
tionem, eleganter scriptum meminimus in l. 14. C. de Juda.
proinde ad judicem, ejusq; officium unice spectat, ut lites, quas
sopiri reip. interest, l. ult. pro suo, quam celerrime finiat, l. 21.
de reb. cred. l. 3. §. 1. de recept. arb. l. 13. C. de judic. ita tamen ut
suum cuique tribuatur, l. 31. Depos. ne inde injuriarum na-
scatur origo, unde jura nasci oportet, l. 6. C. unde vi. id vero
tum demum fit, quando nec severitatis, nec clementia laudem
affectat, l. 11. de poen. sed solum veritatis ductum, ut nauta
cynosuram sequitur l. 6. §. 1. de off. pras. l. 14. C. de judic. Que
veritas cum interdum judici per se sit nota, interdum vero
actis veniat probanda, queritur, utri parti in concursu sit
standum, an potius secundum propriam conscientiam debeat
judicare, quam secundum acta & probata? Prius uti veris-
simum arripimus. I. Principio enim notum est, testes eam
solam ob causam adhiberi, ut veritas rerum gestarum inda-
getur, c. 1. extr. de testib. cog. l. 5. C. de testib. l. 22. ff. eod. & pro
utraq; parte dicatur c. non sine 14. q. 5. contra vero falsitas
evitetur l. ultim. de fideicom. Unde etiam non tam ad nume-
rum, quam fidem testium respicere debemus, l. 21. in f. de test.
Veru puorsu' porbationib' testiū opus est, si ja ante Judici de
veritate constet? adepto enim sine de medijs nō sumus sollici-
ti §. sed si Inst. de suspect. tut. l. 20. §. 2. de manumis. Jam ergo
si probata adhuc prafferrentur, conscientia, tum sanè finem

suum

suum nunquam consequerentur: non enim probarent aliquid ju-
 dici. ut fieri debet l. 12. in f. de probat. qui contrarium scit esse
 verum; neque et probarent veritatem, sed potius eam oppugna-
 rent, et falsum substituerent, quod esset contra officium pro-
 bationum l. 3. de testib. l. 4. C. eo. II. Quia uterque peccaret, et
 Judex qui veritatem occultaret, et testis qui mendacium dice-
 ret: ille dum prodesse nollet: hic dum nocere studeret c. quisquis. 11
 q. 2. 3. c. ext. de crim. fals. Quis a. adeo foret iniquus in Jus no-
 strum Rom. ut statueret, mendacia non tantum esse licita, sed et
 hoc in casu precepta? Sit nobis religio istiusmodi, quid de Justi-
 cia illibata suspicari, nedum dicere vel scribere. III. Quin po-
 tius Judex ageret contra officium boni viri et Judicis, quod est
 ut innocentem absolvat, nocentem vero condemnat l. 5. pr. de poen.
 Sed contra faceret, si neglecta conscientia, que mille testes, pro-
 batis adstipularetur, atque sic nocentem absolveret, innocentem
 vero poenas addiceret. Non placet effugium quorundam, qui
 ad illud: NON LIQUET, sese recipiunt, et Judicem in dubio
 hoc ab officio discedere jubent. Qua enim fronte asserere po-
 terit, sibi non liquere, cum adsit oculata veritas et conscientia
 propria? aut cur querunt illi, an judex secundum probata ju-
 dicare debeat, cum eum officium deponere velint? Judicis offi-
 cium est judicare, non claudicare vel abire, aut cur eum non
 jubent pronunciare secundum probata. si illa conscientia pre-
 valent? Dicunt igitur aliud, quam quod intendebant. IV. At-
 que hinc est, quod fides testium arbitrio judicis relinquatur
 l. 3. §. 1. de testib. hinc religio judicis l. 79. §. 1. de Jud. l. 6. §. 4. si
 quis omis. caus. l. 13. de testib. l. ult. de extraord. cognit. l. 1. §. 17.
 de quest. l. 1. de suspect. tut. et Judex sacer cognitior dicitur, l. 5
 C. quor. appell. non recip. l. ult. de susp. tut. l. 1. de reb. eor. l. 13. C.
 de non num. pec. boni viri officio fungi debet, l. 4. §. 1. fam. her-
 cisc. l. 17. §. 5. de injur. Id quod nihil est aliud, quam cause cogni-

tionem & veritatis explorationē religioni seu conscientia judicis cōmendare, ut possit judicare secundū arbitriū l. 1. ad Sc. Turpil. l. 15. ad municipal. & prout visum fuerit l. 79. de Jud. modò ne cōtra leges l. 1. §. 3. ad l. Corn. de fals. Ad stipulatur nobis, Hotom. ill. q. 27. Vasq. lib. 1. illustr. cont. c. 14. Coras. libr. 4. miscel. c. 20. Arum. exerc. 6. in parergo. Hænon. disp. 23. th. 18. Oldendorp. in form. invest. act. c. 5. pag. 26. Disb. Cuja. 12. obs. 19. Harpr. ad §. 34. Inst. de act. Bronch. cent. 1. aff. 14. Wes. in π. ff. de probat. n. 10. Petr. Greg. in syntag. jur. lib. 48. c. 9. & lib. 50. c. 1. Hack elm. illustr. cont. disp. 4. th. 4. lit. C.

QUÆSTIO IX.

An cadavera punitorum Medicis ad anatomiam concedi possint?

Magnam esse Anatomie utilitatem, nemo est qui dubitat, unde etiā Fr. Duar. lib. 4. de sacr. Eccl. min. c. 2. ex Galeno dicit, Doctrinā Anatomicam Theologiae esse initium; potest n. ex ea miranda planè & stupenda Dei sapientia & potentia tanquā ex libro quodam natura facile cognosci. An. a. illa sit exercenda in corporibus punitorum, non immeritò queritur. Et quanquā doctiss. Giphanius in parergo 7. disputationi de division. Jur. affixo, non putat hoc ipsum apud veteres, in primis Christianos fuisse receptum, eorumq. rationē & usum honestiorem videri asserit: tamen nos anatomia illam fieri posse statuimus, si cadavera à magistratu petantur, & malefici sint atrociores delicti cōvicti. I. Medicus salutis hominum, curam agere debet l. 1. §. 1. de extraor. cogn. ita ut si quid per imperitiā commisit, id ei imputari debeat l. 6. §. 7. de off. presid. l. 8. pr. ad l. Aquil. Imperitia autem illa non potest melius corrigi, quā si Medicus cognoverit internam corporis humani compagē eāq. propriis oculis inspexerit. II. Quia hac ratione promovetur utilitas publica, quæ meritò alijs omnibus præfertur, Nov. 39.

c. 1. l. un. §. 14. C. de cad. toll. ipsis punitis nulla infertur injuria
 arg. l. 33. de injur. sed potius gratia quadam & favor contingit.
 Etenim cum alios perpetuo furca alligati in terrorem aliorum
 sepultura privandi essent l. 28. §. pen. de poen. post sectionem
 ossa simul cum carne terra mandantur, quod pium & huma-
 num est l. 14. §. 7. de relig. & sumpt. fun. cum aliis etiam cor-
 pora animadversorum QUIBUSLIBET petentibus ad sepulturam
 danda sint l. ult. de cadaver. punit. III. Quia hoc ipsum Jus
 consuetudo diuturna iam approbavit. Ergo pro jure observandum
 l. 33. de Ll. nec ejus equitas in dubium vocanda, l. 12. pr. qui &
 a quib. manum. Adi Gomes. tom. 3. var. resolut. c. 14. n. 9. Jul.
 clar. 5. recept. sent §. fin. quest. ult. n. 12. Menoch. 2. arb. jud.
 cent. 3. cas. 3. Duar. ad tit. ff. de cad. pun. Wes. ibid. in par. in f.
 Setzer. disp. 28. Coronid. ult. Eberhard. Speckb. cent. 1. quest.
 jur. 8. Diss. Jul. Alexandr. lib. 4. de Medico pag. 203.

QUESTIO X.

An is, qui consiliarium Imperatoris privato odio ductus
 lædit, committat crimen læsæ Majestatis?

Quemadmodum injuria, quæ servo vel liberis infertur, ipsi
 domino vel parienti illata videtur, l. 1. §. 3. de injur. ita quoque
 si consiliarius Imp. læditur, Imperator ipse pati dicitur, quasi
 corpus per membrum l. 5. C. ad l. Jul. majest. c. si quis 6. q. 1. c. fe-
 licis extr. de poen. in 6. atque sic ledens tenetur crimine læsæ Ma-
 jestatis. An verò id ita indistinctè sit accipiendum, ut nulla ha-
 beatur ratio *ωγαγεσσεως* utrum nimirum factum sit odio publico
 ipsius Imp. an privato consilarii, disceptari videmus. Nos
 aff. partem veritati juris consentaneam esse statuimus, atque sic
 crimen læsæ Majest. non committi putamus, si consiliarius odio
 privato sit læsus. I. Id constat ex l. 15. §. 35. de injur. in qua Ulp.
 tum demum asserit domino per servum injuriam fieri, si tertius id
 eo animo fecerit, ut domino fieret; contra verò, si non ad sug-

gillationē domini fecerit, ipsi seruo injuriam esse factā Quod ipsum & in hoc delicto longē graviori statuendum est, in primis cum non tantū in maleficiis privatis animus inspiciatur, l. 53. pr. de furt. verū etiam in publicis, l. 14. ad l. Corn. de sicar. l. 1. C. eod. imō & in hoc l. 1. §. 1. ad l. Jul. Majest. II. Idem facili negotio colligitur ex l. ult. d. t. ibi. hostili animo adversus remp. vel Principem animatus. Is enim qui odio privato adversus consiliarium aliquid machinatus est, hostilem animum non habuit, læsit enim inimicum, non ut consiliarium Principis, sed ut hominem privatum, cujusmodi considerationes in jure non sunt infrequentes l. 6. pr. quod cujuscunq, univers. nom. l. ult. de his que ut indign. l. 32. de injur. III. Quia hæc sentētia est benignior, quæ in dubiis est acceptanda c. odia. extr. de R. J. in 6. l. 9. l. 34. de ff. eo. ut & humanior, l. 10. de reb. cred. & verisimilior, l. 114. de R. J. Ex quo tamen minimè sequitur, l. 5. C. ad l. Jul. Majest. esse superfluum: Licet n. idem Jus aliquo modo colligi potuisset ex l. 15. §. 35. de jurejur. tamē non eadem est ratio servi & consilarii: & aliās ea, quæ notabiliter fiunt, nisi specialiter notentur, videntur quasi neglecta d. l. 15. §. 26. Consentiant nobis Treutl. vol. 2. disp. 32. th. 1. lit. C. Arum. disp. ff. 25, th. 2. & ibid. allegat. Setzer. disp. ult. th. 5. lit. C. Vult. 1. I. R. c. 47. n. 4. Hackelm. disp. 24. th. 15. lit. D. Diss. Bocer. in tr. de regal. t. 3. n. 104. & in tr. de crim. læs. majest. c. 2. n. 28. Harpreht. ad §. 5. Inst. de publ. Iud. n. 13. Petr. Greg. in synt. jur. lib. 35. c. 3. Althus. 1. Jurispr. c. 61.

Nos hic cum DEO finimus.

F I N I S.

00 A 6440


ULB Halle 3
002 937 344




VD17

Reho ✓







Farbkarte #13

B.I.G.

27K

ARUM
 ARUM
 S X.

A.
 NSENSU
 rum Ordi-
 Salanâ,

RÖTERO,
 ARCHICO,
 ABITUR
 MANNUS
 NSIS.
 cembr.

WEIDNERI.
 ISTI

